

## SECTIO II.

Utrum materia hujus sacramenti sit solus panis usualis ex farina triticea, et naturali aqua confectus.

1. Explicuimus veluti remotissimam materiam et substantialem; nunc declarare oportet qualitatem ejus, seu modum quo confici debeat.

2. *Prima conclusio.* — Dico ergo primo, de necessitate hujus materiæ esse, ut sit panis ex farina triticea, et sola naturali aqua coagmentatus; ita D. Thom. hic, art. 7, ad 3; Palud., dist. 41, quæst. 1, num. 33; Richardus, art. 2, quæst. 2; Sotus, dist. 9, q. 4, art. 6, ad 3; Angel., verb. Eucharist., 4, n. 7; Sylvest., quæst. 2; Alan., lib. 4, cap. 11. Ratio est, quia panis communis, et usualis, quo utuntur homines, ut sit veluti comes aliorum ciborum, solum fit ex materia triticea, et aqua naturali; et utraque est æque necessaria, ut hujusmodi panis coalescat; sed materia hujus sacramenti est panis triticeus et usualis: ergo. Confirmatur, nam propter hanc causam panis confectus ex farina, lacte, oleo aut simili liquore, non est materia hujus sacramenti, quia re vera non est panis, sed aliud genus massæ, seu placentæ; idem ergo erit, si farina subacta sit cum aqua rosacea, aut alia simili; intelligi autem debet, sicut paulo antea de farina dicebamus, scilicet, ut tota aqua vel major pars naturalis sit, nam si parva aliqua quantitas misceatur alterius aquæ, non mutabit substantiam, quia verisimile est converti ab illa majori parte, præsertim adjuncta coctione, unde id non impedit, quominus ille panis censeatur usualis; et ideo id non erit contra sacramenti veritatem; esset tamen illicitum id facere, quia est præter Christi institutionem, et hujus materiæ puritatem. Cum autem dicimus, requiri solam farinam et aquam, non excludimus nonnullam salis admistionem, nam licet hæc in Ecclesia Latina fieri non debeat, propter ea, quæ infra dicemus de pane azymo, tamen si fieret, non esset contra substantiam sacramenti, quia usualis panis fermentatus ita confici solet; secus vero est de butyro, pipere, caseo, aut aliis rebus similibus, quæ nullo modo misceri debent, et si in minima quantitate adjungantur, erit illicitum contra puritatem, et institutionem talis materiæ; si vero in majori, aut in notabili quantitate miscerentur, esset contra substantiam sacramenti, quia non fieret panis usualis, sed pla-

centa quædam, quæ potius cum pane comedatur, quam ipsa possit per modum panis ad alios cibos deservire; et ideo in hujusmodi mistionibus, non sola quantitas, sed etiam qualitas attendenda est; nam si fiat per modum condimenti, et mutet saporem, ac usum panis, tollet veram rationem hujus materiæ.

3. Contra hanc vero conclusionem sentit Cajetanus hic, art. 7; putat enim ex farina, et aqua rosacea fieri panem ejusdem speciei cum alio communi, quia sola illa diversitas aquæ non videtur obstare, quominus panis confectus sit ejusdem speciei, tum quia per concoctionem exhalatur et consumitur; tum etiam quia, licet aliquid maneat, tamen potissima substantia illius misti est farina, quæ ejusdem rationis manet, et in suam naturam trahit humorem illum. Hæc opinio aliquibus recentioribus non displicet, mihi vero maxime, propter antiquorum auctoritatem, et Ecclesiæ usum, qui est in hac re majoris momenti. Respondetur ergo primum, non esse improbabile, mista illa, specie substantiali et physica differre, quia alterum miscibilium diversum est, et æque concurrat cum alio ad mistum conficiendum, nam in magna quantitate ponitur, et est valde activum; quidquid vero sit de specie physica, satis est, illum panem non esse usualem, ut non possit esse materia hujus sacramenti, ut iterum jam dicemus.

4. *Secunda conclusio.* — Dico secundo: necesse est, ut hic panis sit calore ignis concoctus, itaque cruda massa non est sufficiens materia. In hoc conveniunt omnes Theologi. Et ratio est, quia massa non est panis, nec cibus, aut alimentum hominum, per se loquendo. Dubitant autem Theologi, an hæc massa differat specie a pane concocto. Et quidam negant, ut Scotus, dist. 41, quæst. 6, et Gabr., lect. 35 in can., sicut caro cruda, et cocta non videntur specie differre. Alii vero affirmant, ut D. Thomas, quæst. seq., art. 6, ad 4, et in 4, dist. 41, quæst. 1, art. 1, q. 3, ad 3, ubi et farinam a tritico, et panem a massa et farina, specie distinguit, quem sequuntur Cajetanus et alii Thomistæ. Et est verisimile, quia cum massa et farina sint materiæ facile transmutabiles, credibile est, nimio calore ignis substantialiter mutari, sicut cum panis per actionem naturalis caloris in chylum convertitur; quod etiam indicat diversitas accidentium, et operationum, nam licet unum et aliud signum non sufficiat, tamen multa simul sumpta multum

indicant. Addit Cajetanus rationem Theologicam, scilicet, quia, si forma panis esset accidentaliter, maneret post consecrationem, quod est omnino falsum, ut infra dicitur. Sed hæc ratio non cogit, quia, licet panis non differat a massa substantialiter, nihilominus non esset dicendum, formam panis esse solum accidens, sed esse formam substantialem massæ, et substantiam massæ esse substantiam panis, quamvis illa substantia non habeat rationem panis, nisi conjuncta sit talibus accidentibus, ut in aliis exemplis infra tractandis necessario dicendum est. Itaque hæc res Theologica non pendet ex hac questione physica, ut bene dixit Scotus, et fatentur uterque Soto et alii Thomistæ. Ex hac vero conclusione sequitur amyllum crudum (ut ita dicam) non esse materiam hujus sacramenti, quia ut sic, nec est panis, nec est cibus humanus. An vero ex illo confici possit panis, jam dicam.

5. *Tertia conclusio.* — Dico tertio: de necessitate materiæ hujus sacramenti est, ut panis sit solo igni assus, seu coctus, ita ut si sit oleo aut butyro frixus, aut aqua elixus, non sufficiat. In hac omnes conveniunt. Et ratio est, quia alioqui non erit verus et usualis panis, sed erit placenta, laganum, pultes, aut quid simile. Unde Plinius, lib. 48, cap. 8, dicit, Romanos multo tempore usos esse pulte, et non pane; distinguit ergo unum ab altero. Neque oportet differentiam esse specificam, et substantialem, sed satis est, ut ita dicam, quod sit usualis et artificialis. Non refert autem, quod panis in furno torreatur, aut sub cineribus, aut intra aliquod vas ferreum, aut fictile assetur, dummodo puro igne coquatur, quia illis modis non fit mistio alicujus liquoris, neque impeditur vera coactio, sed solum est varietas in proximo continente, seu in modo applicandi ignem, et ideo non impediunt, quin fiat verus panis. Unde intelligitur, amyllum confectum per modum pultis, seu pulmentarii, prout fit in communi usu illius, non esse materiam consecrationis, quia non est panis.

6. *Quarta conclusio.* — *Dubium.* — *Responsio.* — Dico quarto: necesse est, ut panis dicto modo confectus in sua substantia et natura perseveret, et in eo consecrari possit, et eadem ratione necessarium est, ut farina, ex qua conficiendus est panis, non sit corrupta, sed ut conservetur in sua natura. Ita D. Thom. hic, et omnes, quia si fiat corruptio, jam non est panis, sicut acetum non est

vinum, et ideo non est materia, ut dicemus. Sæpe vero difficile est judicare, an panis sit substantialiter corruptus, neene. Et ideo D. Thom. hic, ad quartum, recte docet diligenter considerandam esse mutationem accidentium, coloris, saporis, et an facile fiat dissolutio seu resolutio quasi in cineres, nam illud est maximum corruptionis signum. In praxi vero servandum est, ut quodcumque sunt signa corruptionis, non fiat consecratio, propter reverentiam tanti sacramenti, quod maxime verum est, quando tot sunt signa, ut saltem reddant materiam dubiam. Dubitari vero solet de pane prius male cocto, qui postea per compressionem digitorum, quasi in massam redigitur. Respondetur, quod ad usum pertinet, propter reverentiam, non esse utendum hujusmodi vel alia simili materia; non existimo tamen in rigore illam esse corruptionem substantialem, quia nulla intervenit actio, quæ ad illam sufficiens esse videatur. Et per hæc judicandum est de similibus casibus.

7. *Dubium aliud.* — Unum vero superest controversum dubiolum de pane confecto ex amylo, an sit sufficiens materia; multi enim affirmant, quia amyllum est materia triticea, et potest in massam aqua subactam redigi, et igne assari; ita Palud., dist. 41, quæst. 4, art. 4, conclus. 5. At vero D. Thomas hic, ad 4, absolute negat, quem est secutus Scotus, d. 41, quæst. 6; Carthus., quæst. 3, dub. ult.; Victoria, num. 35; Ledesm., Alan., Sylvester, Angelus, locis supra citatis. Ratio est, quia existimant omnino corrumpi triticum, quando ex illo conficitur amyllum; transmutatur enim longe alio diverso modo, quam cum ex tritico fit farina, quia et diverso modo contunditur, et illi miscetur aqua, et postea lacteus humor colatur, et exsiccat deinde vehementi calore solis; hæc autem multiplex actio, et transmutatio, ad finem valde diversum ordinata, magnam facit conjecturam, materiam illam, seu massam, quæ dicitur amyllum, esse valde diversæ rationis a farina triticea, et consequenter, quamvis ex illa postea fiat pasta, seu massa, et coquatur, illam non esse panem verum, et usualem, sed corruptum, et aliud placentæ genus; non ergo erit materia sufficiens. Et hæc sententia est valde verisimilis, et ut minimum, certum est, hanc materiam esse valde dubiam, ut dixit D. Th., dist. 41, quæst. 2, art. 2, quæst. 2, ad 3; et Soto, dist. 9, q. 4, art. 3; et ideo non esset consultum, neque securum in illa conficere.

## SECTIO III.

Utrum panis azymus vel fermentatus sit de necessitate sacramenti.

1. *Prima sententia Græcorum erronea.* — Dicam simul de necessitate sacramenti, et præcepti, quia hæc duo D. Thom. conjungit, et vix potest unum absque alio tractari. Prima sententia est Græcorum, asserentium fermentatum panem esse de necessitate hujus sacramenti, ita ut in solo illo, tam licite, quam valide, confici possit. Qui error incepisse creditur post mille et viginti annos a Christi adventu, ut colligitur ex Leone IX, epist. ad Michaelem Patriarcham Constantinop., cap. 5; et ex Anselm., lib. de Fermentato et azymo; Guidone Carmelita; et Castro, verbo Eucharistia, hæresi 2; Niceph., lib. 4 Hist., c. 28; et in eodem errore nunc Græcos persistere, colligitur ex Hier., Patriarc. Constantinop., in libro responsionum ad Lutheranos, cap. 10, ubi negat in azymo fieri sacramentum. Fundamentum horum est, quia putant, Christum in fermentato pane consecrasse; dicunt enim non cœnasse agnum 14 luna, quando azyma incipiebat, sed luna 13, quando fermentum durabat. Confirmatur hæc sententia, quia panis azymus non est panis simpliciter, sed secundum quid, cujus signum est, quia non est in communi usu hominum.

2. *Secunda sententia referri potest, dicens, panem azymum esse necessarium Latinis de necessitate sacramenti, fermentatum vero Græcis, ita ut si in altero tentent conficere, nihil faciant.* Ita docuit quidam Hugo, quem refert et sequi videtur Glossa in cap. Litteras, de Celebrat. Missarum; sed est ineptissima sententia et sine fundamento.

3. *Sexta Synodus.* — Tertia ergo sententia est, neutrum quidem panem esse Latinis aut Græcis de necessitate sacramenti, convenientiorem tamen, magisque congruentem materiam esse panem fermentatum, quam azymum. Hanc sequuntur Lutherani et Calvinistæ, qui dicunt usque ad Alexandrum III Ecclesiam fuisse usam fermentato, illum vero Pontificem, ut aliquid inusitatum faceret, azymum introduxisse; quam consuetudinem ipsi despicientes, fermentato in suis cœnis dominicis (ut vocant) utuntur. Primo, quia est magis usualis, et aptior ad cibandum hominem, et consequenter ad significationem spiritualem hujus sacramenti. Secundo, quia non licet nobis uti cæremonia judaica. Panis

autem azymus est judaica cæremonia, unde in sexta Synodo, canone 11 Trullano, prohibetur fideles Judæorum azyma comedere. Ex quo infertur, juxta hunc errorem, non debuisse, nec potuisse Ecclesiam Latinam præcipere consecrationem in azymo, aut prohibere illam in fermentato. Cur enim prohibeat id, quod magis decet? præsertim, quia celebrando in azymo semper magis videmur imitari Judæorum ritum. Unde eademmet Ecclesia Latina non curavit celebrare Pascha semper in luna decima quarta, ne Judaicum ritum retinere videretur. Confirmatur, quia panis fermentatus est perfectus panis; ergo non magis debuit prohiberi, quam vinum album vel nigrum.

4. *Quarta sententia.* — Quarta sententia esse potest in contrario extremo, panem, scilicet, azymum esse de necessitate sacramenti, ita ut fermentatus non sufficiat. Hanc tribuunt aliqui Armenis. Tamen, quamvis Niceph., lib. 18 Hist., cap. 53, referat eos consecrare in azymo, non tamen dicit, eos hoc facere ea fide vel opinione, quia putent, hoc esse simpliciter necessarium, sed eo modo, quo facit Ecclesia Latina, unde nullum invenio hujus erroris assertorem. Fundamentum autem ejus esse potest, quia Christus consecravit in azymo; sed est parvi momenti, quia inde non fit, illam differentiam esse essentialem, quia fortasse consecravit in vino albo, unde non sequitur, illud esse ita necessarium, ut nigrum non sufficiat.

5. *Quinta sententia.* — Quinta sententia est panem azymum, quamvis non sit de necessitate sacramenti, omnibus tamen esse de necessitate præcepti, ita ut peccent Græci consecrando in fermentato. Ita sentit Scotus, dist. 11, quæst. 6, in fine; Gabr., lect. 34 in can.; Castro supra, circa finem. Hi solum videntur fundari in traditione Ecclesie Romanæ, cui etiam Græci tenentur conformari. Alii vero videntur hoc fundare in jure divino, fundato in facto Christi, qui in azymo consecravit. Indicat Angel., Eucharist., 1, num. 6.

6. *Sexta sententia.* — Sexta sententia est, Latinis esse panem azymum necessarium necessitate præcepti, Græcis vero liberum esse hoc vel illo uti; ita Palud., d. 11, quæst. 4, art. 4, conclus. 6, licet non satis clare. Fundamentum esse potest, quia Ecclesia Latina imposuit hoc præceptum; ergo Græci possunt, si volunt, illi conformari, esto non teneantur, quia Ecclesia Romana noluit illos

obligare. Et confirmatur, nam cur tenebuntur sequi suæ Ecclesie ritum, cum schismaticus sit?

7. *Prima conclusio.* — Dico primo: tam panis azymus, quam fermentatus, sufficit ad substantiam hujus sacramenti. Est de fide, ut constat ex Concil. Florent. in decreto Eugenii, et ex doctrina Trident., sess. 13, et ex c. Ad abolendam, de Hæreticis, ubi damnatur, qui dicunt, Ecclesiam Romanam errare in ritu sacramentorum. Unde Leo IX, in dicta epistola sententiam Græcorum hæreticam vocat. Item Innocent., lib. 4 de Myst., cap. 4; et Anselm., dicta epist. de Fermentato et azymo; et D. Thom. hic, et omnes Scholastici, dist. 15; Alens., 4 p., quæst. 32; et Gabriel, dicta lect. 34. Et quidem, quod panis fermentatus sufficiat, omnes Catholici consentunt, et traditione constat, et ratione probabitur statim. De pane autem azymo probatur primo de facto Christi; celebravit enim Pascha primo die azymorum, quando caeteri Judæi immolabant, ut constat ex Matth. 26, Mar. 14, Luc. 22; illo autem die jam non licebat uti fermentato, ut constat Exod. 12. Quinimo, quamvis Christus cœnasset 13 luna, ut Græci volunt, verisimilius esset in azymo confecisse, ut Innocent. supra notat, et D. Thom., 4, dist. 14, quæst. 2, art. 2, quæst. 3, quia licet Christus anticipasset tempus, tamen servaturus erat omnes cæremonias illius Paschæ; ergo sicut credendum est, usum esse lactucis agrastibus in illa cœna, ita est credendum usum esse pane azymo, sicut lege erat præscriptum; quod etiam notavit Petrus Comestor, in historia Evang., c. 149. Dicere autem possunt Græci, in cœna quidem legali usum esse Christum pane azymo, illa tamen finita, statim rediisse ad panem fermentatum, quod nondum erat prohibitum. Sed imprimis tam incertum est hoc, quam est incertum consecrasse in vino albo aut nigro; ergo sicut esset erroneum alterutrum ex illis vinis præscribere propter factum Christi, ita et præscribere panem fermentatum. Ac deinde cum supra dixerimus Christum consecrasse ante inchoatam cœnam usualem paulo post finitam legalem, verisimile satis est consecrasse in pane et vino, quæ superfuert ex cœna legali; denique, si ipsi dicunt anticipasse Christum legalem cœnam, cur non etiam dicent anticipasse totam cæremoniam illorum dierum, in quibus, post inchoatum azyma, non licebat ad fermentatum redire?

8. *Azymum esse vere panem probatur.* — Ultimo probatur ratione utraque pars conclusionis, quia uterque panis est simpliciter panis, et ita in Scriptura vocatur; de fermentato nos fatemur; de azymo probatur primo ex eisdem locis cœnæ: *Accipit panem, etc.*, et ex Luc. 24, ubi duo discipuli dicuntur agnovisse Christum in fractione panis, quem necesse est fuisse azymum, quia illud accidit in secundo vel tertio Paschæ die, et tamen in illis septem diebus non poterat juxta legem inveniri fermentum in domibus Judæorum, Exod. 12 et 23, ubi Cajet. hoc notat. Marci etiam 2, dicitur, David comedis panes propositionis, qui etiam 4 Reg. 21 et 22, panes simpliciter vocantur, quos tamen constat azymos fuisse, ut scribit Philo in lib. de Vita contempl., et Joseph., lib. 3 Antiq., cap. 10, alias 9; colligitur ex Lev. 2, ubi dicitur: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiat.* Unde Theodor., orat. 10 in Dan., circa illa verba cap. 10: *Die autem vigesima, etc.*, expresse dicit: *Panis et fermentatus, et non fermentatus vocatur;* et idem notarunt ex Scriptura sacra D. Th., 4, dist. 11, quæst. 2, art. 2, quæstione 3, ad 6, et Alensis, 4 part., q. 32, membr. 3. Ratione item probatur, quia uterque panis conficitur ex farina triticea, et naturali aqua subacta, et puro igne coquitur; hæc autem tantum sunt de ratione panis; uterque etiam habet proprium usum panis; nam licet unius usus sit frequentior, quam alterius, quia est delectabilior et aptior, tamen utriusque usus est proprie usus panis, scilicet, ut cum aliis cibis, tanquam illorum comes adhibeatur. Dices: panis fermentatus est corruptus, juxta illud: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Respondetur, sensus est, totam massam fermentat, ut habet Græca lectio; non enim substantialiter corrumpit, sed alterat et disponit, ut tali modo fiat. Unde potius, quando debito modo fit ista mistio, massa trahit fermentum (si fortasse substantialiter differunt) in suam naturam, et ita ex toto illo composito fit verus panis, qui totus est aptus secundum se ad consecrationem. Quare merito advertit D. Thom. ne sit nimia mistio fermenti, quia, si massam ita corrumpere, ut non esset accommodata usui hominum, posset id esse contra substantiam sacramenti, et multo magis erit, si solum ipsum fermentum coctum assumatur, nam illud neque est panis, neque homines illo uti possunt.

9. *Illatio ex dictis.* — Ex quo intelligitur,

erroneum etiam esse, dicere alterutrum panem esse simpliciter de necessitate sacramenti in hac vel in illa Ecclesia, Græca aut Latina, nam et ratio facta, et testimonia adducta æque probant de omni Ecclesia; præterquam quod erroneum est dicere sacramenta habere alias essentias, in una parte Ecclesiæ, ac in alia; aut consuetudinem aut præceptum Ecclesiæ posse immutare, aut essentialiter limitare materias sacramentorum. Denique erroneum est dicere, Christum Dominum aliam materiam pro Græcis, aliam pro Latinis instituisse. Quæ omnia supra in materia de sacramentis in genere probata sunt.

10. *Secunda conclusio.* — Dico secundo, convenientissime Latinam Ecclesiam pane azymo usam esse, habet enim hoc majores congruentiæ rationes. Est certa, et probatur primo auctoritate Ecclesiæ Romanæ, quæ summa est, et a Beato Petro accepisse creditur hanc consuetudinem, et continua traditione tenuisse. Quod enim novi hæretici dicunt hanc esse rem novam et introductam ab Alexandro III, impudentissimum est, et contra omnem historiæ veritatem, ut constat ex citata epist. Leon. IX, et ex Innocent., lib. 4, cap. 4. Secundo probatur ex facto Christi, quem ostendimus in azymis consecrasse; eo quod luna 44 consecraverit. Tertia ratio congruentiæ sumitur ex significatione, nam panis azymus significat puritatem, et sanctitatem corporis Christi, vel puritatem quam habere debent, qui ad hoc sacramentum accedunt, juxta illud 1 ad Cor. 5: *Itaque epulemur non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Quarta ratio veluti litteralis sumitur ex Anselmo, quia panis azymus facilius, purius ac decentius conficitur. Adde etiam ex D. Thom. hic, ad 4, panem azymum magis esse immunem ab omni corruptione.

11. *Tertia conclusio.* — Dico tertio, tam Græcis, quam Latinis licere Ecclesiæ suæ consuetudinem observare. Hæc conclusio est communis et certa. Docet eam Leo IX dicta epist., cap. 29, ubi et Latinorum consuetudinem defendit, et subdit, eam esse Romanæ Ecclesiæ moderationem et prudentiam, ut cum tam extra, quam intra illam multæ sint Græcorum Ecclesiæ, nullam a paterna sua traditione perturbet, sed potius eam servare moneat, et suadeat, quod etiam nunc in Romana Ecclesia observari conspiciamus. Unde constat jure divino neutrum horum esse præceptum, quia solum Christi factum non satis

est ad inducendum præceptum; nam licet consecraverit in vino albo, v. gr., aut hora noctis, non ideo præcepit nos ita consecrare; neque ex alio testimonio scripto, aut tradito potest hujusmodi præceptum colligi; et supra dicta Romanæ Ecclesiæ consuetudo satis docet, nullum tale esse universale præceptum, non modo divinum, verum etiam neque humanum.

12. Quarto dicitur tam Græcos, quam Latinos teneri ad servandum suæ Ecclesiæ ritum. Hæc est communis sententia, quæ ita explicanda est: in primis enim sacerdos Latinus in Ecclesia Latina conficiens tenetur sine dubio in azymo consecrare, non solum propter scandalum, sed etiam, quia Ecclesiæ consuetudo obligationem inducit, unde in cap. Litteras, de Celebr. Miss., punitur quidam sacerdos, quod in fermentato consecrasset. Deinde sacerdotes Græci similiter in sua Ecclesia conficientes debent suæ Ecclesiæ consuetudinem observare, ut censet D. Thom., et docent Cajet., Soto, et alii. Et colligitur ex Concil. Florent. Et ratio est, quia Ecclesia Græca in hoc præcise facto non est schismatica; aliud est enim improbare Ecclesiæ Latinæ consuetudinem, asserendo illam esse contra veritatem et reverentiam sacramenti; aliud vero servare suam consuetudinem, quam Ecclesia Romana non improbat, nec reprehendit, ut patet ex Concil. Florent. supra, et ex Leone Papa, in dict. epist., et ex Innoc., lib. 4 de hoc mysterio, cap. 33; illud enim prius pertinet ad schisma et ad hæresim, et ideo tenentur omnino Græci illud vitare; hoc vero posterius non pertinet ad schisma, sed ad quamdam consuetudinem honestam, quam ipsa etiam Ecclesia Latina servari vult, ut ex dictis patet; ergo tenentur sacerdotes Græci suæ Ecclesiæ consuetudini conformari.

13. *Quando licet Latino in fermentato, et Græco sacerdoti in azymo consecrare.* — Illud vero in hac conclusione explicandum superest, an Latinus sacerdos in Ecclesia Græca, vel Græcus in Latina, respective in fermentato vel azymo consecrare teneatur. Respondetur, solere in Ecclesia Latina inveniri aliqua monasteria vel Ecclesias Græcorum, in quibus Græcorum ritus servantur; et similiter possunt inter Græcos inveniri Ecclesiæ Latinæ; in his ergo templis unusquisque servare debet suæ Ecclesiæ consuetudinem, quia perinde se habet, ac si in propria Ecclesia, Græca vel Latina, versaretur, et hoc aperte docet Leo

P. IX, dict. epist. ad Michael., cap. 29, et ita etiam habet usus. Existimo tamen non licere sacerdoti Latino in hujusmodi templo Græcorum, quod in Ecclesia Latina existit, quamvis in eo Græci ritus serventur a Græcis, in fermentato consecrare, quia illud est quasi speciale privilegium Græcis concessum. At vero si Latinus sacerdos versetur in Ecclesia Græca, et in propriis eorum Ecclesiis conficiat, optime faciet, eorum mori ac consuetudini se conformando, juxta doctrinam Ambr. ab Augustin. recitatam et probatam, epist. 118, cap. 1, epist. 119, cap. 48, et habetur in cap. Ille, dist. 42. Intellego autem hoc verum esse, sive aliquis diu et tanquam incola inter Græcos habitet, sive ut hospes ac peregrinus illac pertranseat, de quo posteriori modo potissimum loquuntur Ambr. et Augustin., qui in omnibus his humanis consuetudinibus, ut jejunandi, servandi festa, et similibus, censent unumquemque peregrinum debere se ad illius Ecclesiæ consuetudinem conformare, in quo actu versatur. Ex quo videtur ulterius sequi, non solum posse licite, sed etiam teneri sacerdotem Græcum transeuntem per Ecclesias Latinas in azymo consecrare, peccareque si aliter faciat. Atque ita sentit Ledesm. in 4, 1 p., quæst. 15, art. 4, dub. 2. Sed rigorosa est hæc sententia pro peregrinis, et iter agentibus, tum quia Eugen. P., in litteris unionis, post sess. ult. Concil. Florent., simpliciter et sine limitatione dicit, unumquemque sacerdotem debere conficere in fermentato, vel azymo, juxta Ecclesiæ suæ consuetudinem; tum etiam quia Leo IX, dict. cap. 29, multum favet; imo etiam monet, ut unusquisque juxta suæ Ecclesiæ ritum celebrare sinatur, etiamsi in alieno solo versetur; tum præterea, quia licet non sit certa, est tamen probabilis opinio, eum, qui per locum aliquem transit, quamvis bene faciat propriam aliquam illius loci consuetudinem servando, non tamen ad id teneri, per se loquendo, et secluso scandalo, ut notavit Glossa in cap. Quæ contra, dist. 8. Ergo et sacerdos Græcus non tenetur mutare suam consuetudinem, et sequi contrarium, propter solam consuetudinem loci, per quem transit; secluso autem hoc titulo nullus alius inveniri potest, quo obligetur. Adde, quidquid sit de aliis consuetudinibus, hanc, de qua agimus, videri hoc sensu et modo introductam, et ab Ecclesia acceptatam, ut unicuique liceat suæ Ecclesiæ ritum servare, ubicumque celebrare permittatur, ut ex ad-

ductis decretis constat, et ex praxi; nam Romæ ita sæpe fieri vidimus; et certo scimus nostros Latinos sacerdotes peregrinantes inter Græcos non schismaticos, sed Romanæ Ecclesiæ unitos, in azymo solitos esse celebrare; et merito sane ita hæc consuetudo est approbata, quia difficillimum esset, sacerdotem in re tam gravi obligari ad mutandam antiquam et patriam consuetudinem, solum propter transitum per aliam Ecclesiam. Unde etiam confirmatur, nam sacerdos Latinus transiens per Ecclesiam Græcam non obligatur mutare Latinam consuetudinem, ut omnes fatentur; ergo neque e contrario Græcus obligandus est, etc., quia titulus consuetudinis par est in utroque. Nam licet Romana Ecclesia, quæ caput est, magis approbet suam consuetudinem, quandoquidem illam amplectitur, tamen simpliciter, et quoad obligationem, et respective (ut sic dicam), æque approbat utramque pro Latinis et Græcis, distributione accommodata. Denique quoad totum alium Missæ ritum non tenetur Græcus transiens per Latinos, nec Latinus transiens per Græcos, mutare illum, ut servet cæremonias ejus loci, in quo celebrat, quia hoc est pene impossibile moraliter loquendo; ergo idem est de hoc ritu. Dico ergo, sine scrupulo posse sacerdotem Græcum peregrinantem per Ecclesiam Latinam, et Latinum per Græcam, suæ Ecclesiæ ritum servare cum consensu et facultate pastorem ejus Ecclesiæ, in qua versatur, quam ipsi, si nullum timeant scandalum, præstare possunt, et debent, si nulla rationabilis causa obstat. Secus vero esset, si sacerdos omnino mutasset domicilium, quia tunc jam non esset reputandus sacerdos Græcus, etiam si antea esset, sed Latinus, quia jam factus esset membrum Ecclesiæ Latinæ, et ideo secluso speciali privilegio debet illi se conformare.

14. *Responsio ad fundamenta aliarum opinionum.* — Et ex his satis responsum est ad aliarum opinionum fundamenta. Et ad primam quidem, et secundam opinionem, nihil denuo dicendum occurrit. Ad tertiam vero dicitur, celebrare in azymo non esse judaicum ritum, quia non est uti azymo, eo modo, et fine, quo Judæi utebantur, neque ex veteris legis obligatione, quod esset proprie servare judaicæ cæremonias; alias etiam esset cæremonia judaica consecrare in fermentato, quia interdum præcipiebatur Judæis uti fermentato et non azymo, ut constat Exodi 7 et 23, et Levit. 7; et uti aqua in